



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

LVI. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Domstift die von den  
Gebrüdern von Wegleben erkauften Hebungen aus Buchholz, am 8.  
August 1287.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

tam presentibus quam futuris Canonice substituendis In perpetuum. Inherentes vestigiis antecessorum nostrorum ea, que ab eis roborata sunt, pro libertate ac utilitate vestre Ecclesie, iustis petitionibus vestris annuentes, secundum priorum continentiam Litterarum, dignum duximus, ne obliuio aut vetustas deleat, Innouanda, quarum Litterarum tenor et series extat talis. (Hier folgt die Urkunde vom 28. Nov. 1194 oben Nr. XV.) — Nos etiam sedulis et iustis petitionibus vestris benignum prebentes exauditum dictum priuilegium Innouamus et auctoritate presentium in nomine domini confirmamus et sigilli nostri munimine roboramus. Testes huius sunt hermannus prepositus, Geuehardus cellerarius, Bertoldus de clettenberg, anno de heimbürg, Canonici nostre Ecclesie, et Layci Comes Conradus de Werningerode, Geuerardus de Jerchsem, Ludolfus de hartesrode, wernerus marscalcus noster, Milites, et quam plures alii fide digni. Datum halberstat, anno domini M°. CC°. LXXX. VII°, XVII. kal. Maji, Pontificatus nostri Anno tricesimo quarto.

**LVI.** Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Domstift die von den Gebrüdern von Wegeleben erkaufte Hebung aus Buchholz, am 8. August 1287.

In nomine domini Amen. Otto et Conradus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses — Ad notitiam — universis tam presentis quam futuri temporis deducimus per presentes, Quod cum fideles nostri Dominus Conradus de wegeleue miles et sui fratres bona sua, videlicet duodecim frusta sita in villa Buchholthe, quodlibet frustum pro octo marcis Stendalensis argenti, conventui et canonicis sancti Nicolai in Stendal vendidissent, supplicarunt iidem fratres de wegeleve nobis instanter, quod eorumdem bonorum proprietatem predicto conventui dignemur elargire. Nos igitur eorum precibus favorabilibus annuentes, predictorum bonorum proprietatem ob dei reverentiam et in laudem sue genitricis virginis gloriose prenotate ecclesie et premissis canonicis donamus quiete et pacifice perpetuis temporibus possidendam, Abrenuntiantes universo iuri, quod in iisdem bonis habere actenus videbamus. Igitur ut hec nostra donatio, rite multis presentibus facta, futuris temporibus non valeat calumpniari, presentes litteras fieri iussimus et sigillorum nostrorum appensionibus communicari. Testes huius rei sunt fideles nostri Conradus de Redere, Hinricus de wardeberge, Burchardus niger, Burchardus albus, dicti de Irkefleue, milites; Johannes prepositus in Friensten et Alwardus prepositus Ruppinerensis, et alii plurimi fide digni. Actum et datum Magdeburch, Anno domini M°. CC°. LXXXVII°, VI°. Idus Augusti.

**LVII.** Die Markgrafen Otto und Konrad bestätigen dem Domstifte mehrere Schenkungen, am 2. Dezbr. 1287.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Otto et Conradus dei gratia marchiones Brandenburgenses, Volumus — universis christiane fidei professoribus tam presentis quam futuri temporis esse notum, quod nos ecclesie sancti Nicolai in Stendal et canonicis inibi deo famulantibus dedimus proprietatem de octo choris dure annone, quorum quidem chororum quatuor siti sunt in villa magno moringe, duo in villa Belkowe: per dictos sex choros est fundatum unum altare in ecclesia supradicta, ubi dicetur diebus singulis una missa pro salute anime heinrici de rokze et